

H. C. 12



508-1887

Cc4-c.40



TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

DYSENTERIA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES HOWELL,

Cambro-Britannus,

COLL. REG. CHIR. LOND. SOC.

&c. &c. &c.

Die 1mo Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ROBERTUS ALLAN.

MDCCCXVI.

C

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1913-14

1913-14

1913-14

1913-14

1913-14

1913-14

1913-14

1913-14

1913-14

1913-14

1913-14

1913-14

1913-14

GULIELMO FRANKLIN, M. D.

COPIARUM BRIT. INSPECTORI PRIMARIO

COLL. REG. MED. EDIN. SOCIO,

COLL. REG. CHIRUR. EDIN.

SOCIO HONORARIO,

&c. &c. &c.

HOC OPUSCULUM

ANIMI GRATISSIMI PIGNUS PEREXIGUUM

SUMMA CUM OBSERVANTIA

INSCRIBIT

AUCTOR.

In rebus quibuscumque difficilioribus, non expectan-
dum ut quis simul et serat et metat; sed preparatione
opus erit ut per gradus maturescant.

BACON SERM. *fdel.* Num. XLV.

Dr Thomson
with sentiments of respect
from his Friend
The Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,


DE

DYSENTERIA.

QUOTIES ab historico militari narrandæ veniunt strages hujus pestis cruciantis horrificæ, cujus gressus rapidi egregia valde incepta, oppresserunt, magnos exercitus stupefecerunt?

Exitus illius tam pestiferus vel per se me satis excusaret, si rem adeo plurimis et majoribus auctoribus jampridem tractatam denuo retractaturus sim; utique cum sententiæ de natura ejus et curatione tam diversæ hactenus

proferantur et affirmentur, atque hac discordia inter curantes intercedente, persuasissimum mihi habeo, tentamen ad morbum parentiorem reddendum, a professoribus hujus inclytæ academïæ benignis æqui bonique consultum iri.



DEFINITIO.

QUUM ab hac modus curandi noster adeo multum regatur, quodcunque vocabulum fallere mentem aut decipere hac in re tam momentosa potuisset admodum vitandum est. Vocabuli “Pyrexia Contagiosa” adjectio definitioni Dysenterïæ a Dr CULLENO, magnas controversias excitavit atque cum ab hoc nosologo egregio dissentire ausus sim, veritatis amore eodem quo et ipse tam diu meritoque laudatus est, ex toto impellor, ne morbum scilicet alias quam mihi visus est, exhiberem.

Cumque febris igitur Dysenteriam non perpetuo vel ex necesse comitetur, genereque suo variat pro locorum, rerumque circumstantium diversitate, sæpe inter morbum non amplius apparens, pars definitionis necessaria non esse potest, sed potius adventitia quasi morbum tamen exasperatura. Quod ex usu proprio hæc veræ esse didici, quodque scriptorum maxime celebrium testimonium corroboret, ut pyrexia contagiosa ex definitione CULLENI alioquin perspicua et accurata, prorsus expungerem, verbisque ejus subsequenti- bus describerem, mihi causa fuit, sic “ De-
“ jectiones frequentes, mucosæ vel sanguino-
“ lentæ, retentis plerumque fæcibus alvinis.”

MORBI HISTORIA.

DYSENTERIA sæpissime in castris, in urbi- bus hoste obsessis, in classibus ac locis pallu-

dosis grassari solet, et in his locis morbus est epidemicus et nonnunquam valde exitiosus, præcipue in tempestatibus calidis et humidis. Exeunte æstate vel ineunte autumno frequentissime vigore solet, sed nullo tempore anni non evenit. Modo a pyrexia cum summa lassitudine, nausea, sapore amaro, cibi fastidio, et haud raro fellis vomitione incipit. Modo autem a signis Diarrhœa vel dejectionibus copiosis et biliosis exorditur; nonnunquam sub initium agrotans singultu afficitur, aut alvus præter naturam adstricta est, dum intestinorum flatus sævaque tormina lacerant. Morbus in plerisque exemplis a tenesmo, torminibus comitantibus ordiri solet. In quibusdam tormina quidem haud se ostendunt, sed tenesmus modo gravior, modo lenior, nunquam abest. Hæc symptomata, progrediente morbo, paulatim graviora fiunt. Qualiscunque sit forma quam morbus initio induat, dejectiones in omni exemplo eadem fere brevi evadunt, e spumoso quidem mucositate, sanguine plus minus

plerumque tincta, potissimum constant, color ac spissitudo varia est. Sanguis purus nonnunquam dejicitur, idque tanta copia ut æger in summo vitæ periculo versetur, interdum profecto moriatur. Paucis diebus a morbo inchoato, stercus non nisi scybalorum forma dejicitur, hoc quavis ratione evacuatum, tormina ac tenesimum quadantinus levat, levamen autem haud diu perstat. In quibusdam casibus moleculæ adipem vel caseum referentes et massulæ lymphæ coagulatae, puri aut sanici putridæ admixtæ, dejiciuntur. Progrediente morbo, fellis vomitio, nausea, et sapor amarus subinde observantur. Si abdomen, in hoc morbi gradu, manu premitur, multum doloris sentitur, vultus summam anxietatem et angorem denotat, dolores diversarum abdominis partium flatu distentarum, sæpe torquent, et ad costas spurias adeo nonnunquam sæviunt, ut spirandi difficultatem fere inferant “ Cunctas vero dejectiones (inquit celeberrimus “ HOFFMANNUS) quæ sunt numerosissimæ et

“ antecedunt et comitantur et sequuntur cru-
“ delissima tormenta, non in uno loco fixa,
“ sed per totum intestinorum canalem vago
“ itinere progredientia, et sub quavis sede
“ sentitur molestissimus omnium quasi visce-
“ rum descensus.” Hoc modo plerumque
progreditur Dysenteria cujus signa pro gravi-
tate inflammationis aut febris comitantis plus
minusve graviora ac varia sunt, et pro vario
ægri habitu varium temporis spatium durant.
Morbo inveterato ani prolapsus, ischuriam aut
dysuriam comitatus, haud raro accidit. Py-
rexia in quibusdam exemplis etiam ab initio
oritur et per totum morbi decursum perstat;
interdum vero, morbo provectione accenditur
et a symptomatum vehementia pendens, pro
vario eorum gradu nunc aucta nunc imminu-
ta erit.

Formam Dysenteriae simplicissimam atque
varietates ab ea nascentes variis cœli, tempe-
statis, corporis proprietatibus tribuendæ sunt,

si non simul juncto cuidam morbo epidemico; India Orientali *e. g.* cum jecinoris malis magis conjuncta sit, in fortioribus et robustis hominibus cum propensione ad plenitudinem majore, in solo madido cum febre remittente, vel intermittente, in locis demum confertis, mala ære perflatis, contagiosa, auctore Ill. GILBERTO BLANE aliisque optimis, fieri potest. Quando febris est levis aut nulla morbus per aliquot menses perstare nonnunquam solet, nonnunquam paucis diebus æger violentia inflammationis, signis gangrænæ cito supervenientibus, e medio rapitur. Aliis vero in casibus pyrexia, signis Dysenteriae reliquis perstantibus, aut mitior evadit aut prorsus cessat. Alii somnolentia, alii vigilia pervicace, alii vero etiam ab initio convulsionibus afficiuntur. In quibusdã exemplis lenioribus delirium etiam morbi initio adest. Si morbus malignus futurus sit, lingua quæ initio muco albo obductæ fuerat, colorem nigricantem aut fuscum induit. Dentes crusta

nigra tegantur, cutis sit insigniter calida ac sicca, sitisque inexplebilis urget. His superveniunt maxime anxietatis sensus, delirium, petechiæ, interdum apthæ et convulsiones. In quibusdam casibus corpus marcescit et dolores Rheumatismum simulantes in variis artuum, abdominisque partibus infestant; anxietas præcordia opprimit, cibum vel levissimum stomachus fastidit ac rejicit, tormina sæviora fiunt, nec dejectione mitigantur, quæ jam frequentior facta factorem intolerandum, præsertim si intestina gangræna afficiantur, undique diffundit. Hunc autem factorem prægre-diuntur interdum dejectiones olidæ nigræ cum sanie mixtæ; urina parca et ruberrima est. Jamque tormina, quæ antea summo cruciatu ægrum torquebant, cessant, arteriarum pulsus, ad initium morbi duri et citati, nunc debiles ac abnormes fiunt, urina et sedes, inscio ægro, elabuntur; respiratio est celeris et anxia, singultu frequente interrupta; sudor gelidus prorumpit, dysphagia accedit, oculi hebescent,

extrema corporis frigent, visus imminuitur vel prorsus aboletur et mors tandem miseris finem imponit.

CADAVERUM INCISIO.

INTESTINA crassa ab hoc morbo potissimum afficiuntur, fere semper inflammatione aut gangræna. Colon ac rectum maxime et sæpissime inflammata ac ulcerata et aliquando constricta inventa fuerunt, ut canalis fere oblitteretur; tunicæ ipsorum præter naturam crassæ, nigræ et quasi putridæ fuerunt, tunica villosa exesa conspiciebatur. Intestina tenuia sibi invicem adhærere, illumque ulceribus plurimis exiguis occupari visa sunt. Peritonæum justo crassius in quibusdam exemplis, intestinis adhærere compertum fuit.

Hepar colore mutato, durias quam in statu

naturali et magnitudine imminutum sæpe observatur, sed interdum quoque moles ejus multum aucta fuit. Vesicula fellis ferè acribili plena reperta est. Plurimis in exemplis, Lienis, Pancreas, glandulæque mesentericæ morbo afficiuntur, quod nihilominus reperiri non crediderim nisi cum morbus diuturnus fuit. Aliis in exemplis dum ulcerationes innumeræ variis in partibus subsistere videntur, natura reparationem quæ quadam ex parte adjuvat nova et delicata membranula, per partes ulceratas interim obducta. Hæ carunculæ, credere adducor quæ in Dysenteria nonnunquam dejiciuntur, tunicæque villosæ particulæ esse putantur, seipsa hujus novæ membranulæ portiones sunt, mixu ad dejiciendum violentiore divulsæ et excretæ. Militi cuidam de Legione 61 ex longissima Dysenteria demum sanato, statimque casu quodam extincto, opus hoc salutare tam longe processerat, ut in colo atque recto membrana pollicis qua-

tuor longe fere continua reperta est, in aliis, vero partibus plagæ illius discretæ videbantur.




CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

SUNT omnia quæ corpus infirmant, præcipue autem videntur humor quovis modo applicatus, veluti ær humidus, vestes aut stragula humida; affectus animi deprimentes, jejuni-um, morbi prægressi, liquorum inebriantium abusus, defatigatio; calor ingens, præcipue si humori jungatur.

Æris calor intensior, quem frigus et algor nocturnus excipit, quòd sæpius in calidis quam frigidioribus regionibus, in æstivis quam hybernis mensibus sæviat, causa esse videtur. Fatigatio atque privatio vitæ militaris, negligentia qua seipsos aqua madentes curant, tempestatum vicissitudines quibus objiciuntur,

omnia milites ad hanc exercituum pestem exitiosissimam paratiores reddunt.



CAUSÆ EXCITANTES.

CAUSÆ Dysenteriae excitantes ad Contagium, frugum usum nimium, miasmata paludum, sudorem impeditum referri consueverunt.

Contagium.—Hoc quanquam multi causam morbi excitantem intellexerunt, fautoresque sibi et auctores optimos nactum fuerit, nihilominus testari me officium imperiose cogit, quod in prædictam opinionem multo propensior, curiose atque candide in hanc rem inquisivi ut veram detegerem, (atque hoc ubi quotidianus usus crebras occasiones amplas non præbuit) nunquam vel unum Dysenteriae exemplum ad Contagium referre potui, quotcunque res simul ad ortum ejusdem conferri viderentur. Quamobrem potius crediderim, si quando hic

morbus contagiosus reperiatur, eum febrem Typhum tum comitari.

Fructuum usus immodicus.—ZIMMERMAN, MONRO, aliique hanc notionem manifeste refutaverunt, fructum maturum non solum morbum præcavere, sed et inducti, curationem adjuvare ostendentes. Quam minime quoque vera sit hæc sententia, demonstratur incolunitate qua milites nostri dum per vincas Hispanicas iter facientes, uvas devorabant. Licet nemo inficias ire possit, ex iis plurimos, sive quod parum curiosi de earum maturitate fuerunt, sive quod copiam nimis magnam ad famem compescendam ingurgitaverunt, Diarrhœa et Cholera Morbo correptos fuisse.

Miasmata Paludum.—Dysenteria intermittentibus ac remittentibus haud raro stipatur et in quibusdam exemplis remittentem vel tertianam mutari fertur. In hujusmodi exemplis tertianarum paroxysmi dejectionibus ac

sævis torminibus comitantur, quæ quidem res Intermittentes ac Dysenteriam easdem causas remotas videtur. Hæc opinio haud parum confirmatur eo quod in iisdem tempestatibus ac terræ locis contingunt. Haud ita facile tamen explicatu est, cur eadem exhalatio morbos tam dissimiles genuerit, neque Dysenteriæ naves in alto aggredientes, nimirum ubi causæ hujusmodi nullam vim exercere possunt, rationem reddere valebit; sæpius quoque, hoc concesso, in plagis paludosis, quibus Intermittentes sæviunt, videre debuerit.


Perspiratio Præfocata.—Hæc causa esse frequentissima Dysenteriæ videtur, atque iis æris mutationibus, quibus milites tam perpetuo subjiciuntur, fere stipatur. Humor, qui multum confert, in omnibus locis paludosis scatet atque hic verisimile est, cur vapores paludosi causæ Dysenteriæ credantur, in causis est. Æstu diei torrente, itineribusque longis, fatigantibus, perspiratio et secretio

bilis vehementer augetur, eoque facilius a frigoribus, humidis noctis, locis paludosis humi dormire vestitu, forsan madido, reprimi-
tur. Sanguis sic in partes internas rejicitur, Hepatis functiones impediuntur, atque intestinorum fabrica tenella male habetur ab hoc, sanguinis per superficiem suam affluxu adventitio.

CAUSA PROXIMA.

NULLIS ratiocinationis de hac re ambagibus initis, si nobiscum brevi reputemus varia signa morbum comitantia, statum partium quem dissectio patefacit, pronius credemus inflammationem membranæ internæ seu mucosæ intestinorum, præcipueque Coli, esse causam Dysentericæ proximam, spasmusque effectum potius mobilitatis ejusdem membranæ existere. Quidam inflammatio-

nem hanc erisipelatosam crediderunt, at confitior hoc nullo fundamento mihi niti videtur. Nunquam enim dissectione vel in unum hujusmodi exemplum incidi, neque unquam vidi talis sententiæ fautorem qui se dissecando similem statum reperisse affirmaret.



RATIO INDICIORUM.

INTESTINA sunt admodum irritabilia et magna sentiendi facultate pollent, inflammata igitur membrana muscosa spasma facile afficiatur, hinc fœces in Colo, sede scilicet morbi, præcipue retinentur, et tamen partibus tenuioribus resorptis indurantur, et irritando partes jam inflammatas et admodum sensiles, tormina sæva excitant. Hinc facile intelligitur quare scybalis evacuatis, omnia signa plerumque levantur, non autem semper ex toto mitigantur, cum enim tunica villosa exeditur et inflamma-

tio multum intenditur, res blandissimæ tormi-
na excitabunt; dejectiones sanguinolentæ aut
sanguinis, a vasis sanguiferis exesis proveni-
unt. Canalis Alimentarius nonnunquam præ-
termodum distenditur, quia flatus ob spasmus
discendere nequit; prolapsus ani ab iteratis
ac violentis desidendi conaminibus oriri mini-
me quidem mirandum est. Dysuria sive a
consensu, quem contiguum vocant sive in-
flammatione a recto in organa urinæ accom-
modata extendente, oriri potest.



DIAGNOSIS.

DIARRHŒA, Dysenteriam incipientem adeo
nonnunquam simulat, ut non semper facile
distingui possunt. Hæc autem similitudo
rara est, et discrimen brevi quidem inveniri
potest, post paucos dies in Dysenteria fœces
retinentur et raro nisi scybalorum forma deji-

ciuntur. Diarrhœa nonquam habet pyrexiam, tormina ac tenesmus leniora sunt et fœces alvinæ semper dejiciuntur.

Enteritis a Dysenteria per dolorem fixum pertinacem, per vomitum et alvum obduratam, per tormina et tenesmum sibi non præsentem, discriminari consuevit.

Cholera Morbus, vomitionibus biliosis copiosis, dejectionibus, cum surarum spasmatis satis superque denotatur. *Colica*, præterquam quod tenesmus absit, venter pertinaciter dura est, dolor circa umbilicum tantummodo torquet, pressione levatus, contractionibus musculorum abdominis spasticis fere stipatus.



DE PROGNOSE.

JUDICIUM de diri hujus morbi eventu valde incertum et sæpe infelix sit, oportet, pluri-

mum enim periculi habet, præcipue in castris, ubi causa hujus mali potentissime valet, ubique plurima commoda, quæ ad faustam curationem multum conferunt, veluti vestimenta opportuna, stragula, plerumque desunt.

Periculum, cæteris paribus, videtur esse pro ratione vehementiæ indiciorum, ægrique viribus; sin autem ille valde sit debilitatus, seu hujus, seu alius morbi causa, metus eadem ratione intenditur. Ætate proveciores, fœminæ, pueri multo rarius revalescunt, quam qui florente ætate vigent, quamquam milites juniores si regiones calidiores adeant, morbo facilius petuntur quam qui vitam ibi diu tolerarunt. Si brevi post remedia administrata signa leventur, si tormina ac tenesmus minuantur ac rarius recrudescant; si dejectiones sanguine non tingantur et copiosior evadant; si ægri vires haud insigniter frangantur, si somnus satis reficiat, et denique si febris levior fiat, cum miti sudore, exitum faustum

sperare licet. Contra, pyrexia vehemens, vomitio, dejectiones numero auctæ et solito minores, spumosæ, fœtidæ, vix tolerandæ, inscio ægro elabentes, tormina ac tenesmus aucta, pulsus debiles ac abnormes, abdominis tumor, petechiæ, delirium, convulsiones, animi deliquium, frigus extremarum, sunt signa pessimi ominis. Singultus quidem, morbo initio non adeo timendus est, sed finem versus, est pessimum signum et gangrænam indicat. Ardoris in abdomine sensus, et tormina immania subito cessantia instare mortem significant.



PROPHYLAXIS.

DOLENDUM est, quod in locis ubi hoc horrendum malum sæpius occurrat, castris, inter proelia strepitusque armorum, præsidia quibus milites licet uti ad causas prædisponentes atque

excitantes præcavendas, tam impotenter vicissitudines tempestatis, quibus vita laboriosa subjicit, iisdem defendant; neque mirum est, si fatigati, laboribus confecti, vel præsidia quæ in manu sunt aut negligunt aut omittunt. Multum tamen proficere possunt imperatores et ductores castra per loca sicca et perflata metando, ipsorum castrorum locum sæpe permutando, tentoria in dies ventilando. Lignum comburendum ut vestimenta siccassat, præbendo, victui militum ejusque coctioni acriter invigilando, vestem denique laneam, vinculumve latum ejusdem naturæ sibi circumdare cogendo.



CURA.

QUUM fabricam delicatam partium morbo affectarum contemplamur, cum præterea quam nihili sæpe fiunt extremi conatus nostri ad gressum ejus impediendum recordamur, utilis

certe consideratio fiet, si docuerit morbum tantum superari posse per alacrem inter initia, vixque non temerariam curationem.

Necessitas maturati huc attendendi ab Ill. GEORGIO BAKER sic urgetur, “ Primo neglectus tractatu asperior occurrebat; etenim
 “ corpus extenuatum atque confectum ut
 “ morbo fervido impar erat, ita ipsi impar
 “ curationi. Itaque optimum erat occurrere
 “ ipsis principiis atque auxilia mature præri-
 “ pere. In hoc enim corpus affectu aliquod
 “ certi in medicina opus est, haud multum in
 “ natura beneficio.” Tædii nimium, utilitatis parum afferret hic omnes Dysenteriae curationes variis temporibus in eam laudatas, sigillatim exsequi: quæ dicturus sum igitur, intra remedia quæ tempus comprobaverit, quibusve ex usu proprio vel aliorum magis fidere dædici, cohibebitur.

Venæsectio.—Morbi indicia, signaque dissectione corporum patefacta, hanc naturaliter

ut remedium primum, cui fidendum esset, indicaret; dum notio Pyrexiae contagiosae, effectuumque ex hac debilitantium eandem pariter vetaret. Quod exempla Dysenteriae levicula aliis quoque in modis curari possunt, dubitari non potest, atque longa experientia diversis in regionibus credere adducor, quod sanguinis missiones si maturius adhibitae, neque Theoriis neque conjecturis restrictae, atque eadem alacritate qua inflammationem partium robustiorum prosequimur, continuatae essent, multa pauciora Dysenteriae vetusta videremus exempla, atque fortasse non minus certo ipsae malo proficerent. Donec haec, ut aequum est, ampli tentatur nefas erit ab usu nimis arcto, aut a copia missa, qualis ad inflammationem leviolem aequo minor existimaretur, rem inauditum quasi condemnare. Commentarii Doctoris DONALDI MONRO de hac re disertis plurimos ab hinc annos me sententiam ejus et usum sequi adduxerunt, utilitas quidem hujus sub multis praecclaris in ex-

ercitu Hispanico medicis, neque non sub nostris manibus, plusquam corroborat opiniones ejus, pleneque demonstrat, quod sanguinis missio non solum indicia mitigat, sed actionem medicamentorum aliorum, toto corpore relaxato, non mediocriter adjuvat, neque raro morbum ipsum, medio quasi, abrumpit. Hanc detractionem intra limites aliquos cohibere, difficile esset, vix quidem possibile, pulsus, ægri vires, dolor ex pressura signorumque aliorum vehementia, nos in hac re dirigere debent, atque ab his solis rebus repetitio ejus plus minus frequens omnino pendebit. Non nihil proficere poterimus VIII. vel XII. hirudines abdomini admovendo, si hominis vigor nimis fatigatus detractionem universam ferre non posse videatur, quod in Dysenteria sub alio morbo intercedente aliquando accidit.

Cathartica.—Quam minime de aliis remediis conveniat, hujus generis utilitas medicamentorum ab omnibus admittitur, ideoque libera et

absoluta intestinorum depletio præcipitur enixè, quasi metu ipsa tangenda esset. Actio purgans bis terve alacriter instituta, vascula intestinorum præter ordinem impleta exonerans, ac sic irritamentum tollens, etiam per se Dysentericos leviores impetus sanare valebit. Purgationes tamen redintegrandæ sunt tertio quoque die, donec alvi functiones naturaliter se habeant. Quæ minus irritant præferantur; Oleum Ricini, vel sales medii probe diluti, citius et efficaciter operantur. Cum Dysenteria jam inveteraverit horum medicamentorum modi exigui sic dandi sunt, ut alvum emolliant non depurgent.

Vomitoria.—Hæc quidam ad cælum laudibus extulerunt, neque dubium est quin ventriculo onus levando, intestina deorsum movendo, humores simul in superficiem evocando, per utilia esse possunt. Effectus tamen duo posteriores, melius certiusque producuntur aliis in modis, atque cum emetica haud

raro mobilitatem ventriculi exasperant, parum commodi præbere hæc mihi videntur, nisi si ventriculus male onustus sit, cum a leve vomitorio recte incipiamus.

Diaphoretica et Sudorifica.—Solacium, si quacunque de causa, cutis madefacta fuerit, quod Dysentericus percipit, argumentum non leve fit utilitatis horum remediorum. Tametsi, hic Doctori MOSELEY in tantum assentiri nolim, ut universa curatio his remediis fere solis permitteretur, attamen si cum sanguinis detractone et purgantibus conjuncta sint, per primum vel excitatum Dysenteriae tempus, nullis fere aliis medicamentis opus erit. Quum sanguinis satis fuerit detractum a sex ad decem Pulveris Ipecacuanhæ cum Opio granâ hora unius aut alterius intervallo, assidue præbenda sunt, potu aliquo diluta, donec sudor copiosus profluat, qui horas aliquot servandus est. Balneum calidum (ad 96 Fahrenheit) auxilium huic operis præsens est, in quod

sæpius confugiendum, intestina oblique perstringit; dolorem et tenesimum levans, actionemque purgantium præclare promovens.

Hydrargyrus.—Nunquam hoc solo remedio confisus, specificum quasi et invictum remedium extollere laudibus non possum; experientiam quam de eo in primis Dysentericæ temporibus institui, ultra hæc exempla quibus Hepar morbosum intelligam, non extendi, atque vel in his a sanguinis missione semper inceptis, atque decessio malorum eadem celeritate qua os ulceratum est me satis certum faciebat, id talibus in exemplis efficax admodum esse. Huc quoque non semel confugi, cum effectu satis prospero, ubi morbo jam vetustiore, jecinis functiones aliquamdiu impeditæ fuerint, ubique omnia quæque remedia incassum tentata essent. Frictiones Hydrargyro vel Pilulæ Hydrargyri, leni purgante subinde, cum opiato quodam vespero adhibito, modus hoc administrandi potior mihi videtur. Hæc sequare oportet donec os internum leviter exulceratur.

Opium.—Tormenta quæ miserabilia Dysentericus patitur, sæpe Opio vel Opiatis solum levanda sunt, quæ nunquam dari debent, donec libera et copiosa ventris depletio effecta sit, atque provectori morbi gradui quam principio magis conveniunt. Opium utiliter sumi potest cum Diaphoretico quodam junctum, sicut in Pulv. Ipec. Comp. aut pulvere Jacobi etiam, ac Oleo Ricini mistum, cum alvum non (quod aliter fieret) constringit.

Enemata.—Enemata emollientia et ad libras tres vel quatuor indita, stercora duriora nonnunquam subducunt. Ex unciis sex octove Decocti Seminum Lini cum XL. guttas Tincturæ Opii mixtæ, commoda manifesta percepi. Tenesmus nonnunquam injectioni compositionis Balsami Copaibæ ʒj. Mucilag. ʒv j. prope cedit.

Fomentationes, Exulcerationes.—Tormina, sæpe magnopere cruciantia fere multum alle-

vantur laneis ex Decocto Anthemidis Nobilis aut capitem Papaveris expressis, magis tamen vesicantibus abdomini superimpositis.

Astringentia.—His uti non possumus nisi morbo jam provecto, cum dejectiones frequentes sunt; majores tamen, nullis fere terminibus aut tenesmus comitantibus, cumque provecto a laxo viscerum statu potius proveniunt. Optima sunt ex Kino, Hæmatoxylo Campechense, Catechu, Alumine, Zinco, quæ, mihi sæpe plus efficere per anum quam os indita videntur. Dum vero hæc assumuntur, intestina vacuari jugiter oportet laxantibus. Cum autem gradus morbi chronicus inceperit vix ullo remedio fidendum est; neque ullum ex malis tunc molestantibus notare potui, ad quod curantis consilium privatim dirigi oportet. Quum tamen remedia diversa et contraria bene profecerunt, æquum concludere videtur morbi conditiones talibus in exemplis toto cælo inter se differre. Quum acor ven-

triculum occupavit, Pulv. Cret. Comp. Mist. Cret. Aqua Calcis opio conjuncta prosunt. Donec sanescit æger, Infus. Gentianæ, Columbæ vel cujusvis amari levis vim stomacho et intestinis redintegrare potest. In primo Dysenteriaë impetu, victus ex materia levissima esse, potu mucilaginoso præsertim, atque si vires indies extenuantur, aut si sanescere homo pergit, tum victus levis quidem sed nutriens permittendus, vini quoque modicus usus adjuvabit. Cibis immodicus nimirum præcaveri requit, cum recidivam sæpissime producat; exercitatione leni persistendum est quamprimum æger fieri potest, neque raro mutatio cœli vel navigatio Dysenteriam fere deploratam omnino solvit. Per totum morbi spatium vestitus commode densus atque fovens maxime opus est; immo corpus, more a Doctore DEWAR laudato, nunquam non circumvolvi debet. Conatus ad dejiciendum inanes nisusque vehementiores inter dejectionem ipsam magna diligentia sunt cohibenda.

Etiam si protinus hoc ægri fit, postmodum tamen laboris premium probe rependet, tenesum cohibendo et temperando. Æris perflatus liber, lintea crebro commutata, quicquid offensæ ægro esse possit extemplo submotum, non minis utiliter quam sedulo observanda sunt.

FINIS.

The first part of the book is devoted to a description of the
 various species of plants and animals which are found in
 the country. The second part contains a history of the
 country from the earliest times to the present. The third
 part is a description of the various parts of the country
 and the manner in which they are cultivated. The fourth
 part is a description of the various parts of the country
 and the manner in which they are cultivated. The fifth
 part is a description of the various parts of the country
 and the manner in which they are cultivated. The sixth
 part is a description of the various parts of the country
 and the manner in which they are cultivated. The seventh
 part is a description of the various parts of the country
 and the manner in which they are cultivated. The eighth
 part is a description of the various parts of the country
 and the manner in which they are cultivated. The ninth
 part is a description of the various parts of the country
 and the manner in which they are cultivated. The tenth
 part is a description of the various parts of the country
 and the manner in which they are cultivated.

